



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli  
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola X. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

E P I S T O L A X.

E I D E M .

**Q**uoniam Regijs isthinc missis literis  
iussisti me , Domine , scripto refer-  
re ad Maiestatem Tuam de ijs qui  
per hos Tractus cum fide ac diligentia  
commisso à Te sibi munere funguntur ; sic  
velim habeas : Duartem Barretum , qui  
negotia Regni tui nuper procuravit Ma-  
lacæ , nihil in eā functione omisisse quod  
ab homine gnavo , industrio , fideli ex-  
pectari posset . Ita enim prospexit ratio-  
nibus Fisci , ita Negotiatoribus favit , iu-  
re , sine personarum respectu ex aequo di-  
cundo , ita denique in omnibus se gessit ,  
ut ejus iste Magistratus honori apud has  
Gentes Maiestati Tuæ fuerit . quippe cum  
ex hoc specimine iudicantes Homines vul-  
go crederent , Te Ministros huc Imperij  
Tui tales mittere , quos virtutibus quaæ Ti-  
bi maximè probarentur , quibusque ipse  
abundares , instruētissimos scires . Equi-  
dem sic arbitror : Regum ac Principum  
latè imperantium in eo verti gloriam ; si ,  
quas



## 334 S.FRANCISCI XAVERII

quas ipsi per se administrare non possunt  
suæ ditionis partes , ijs committant quo-  
rum existimari similes honestum ipsis sit;  
quosque Populi cum viderint , cumque  
fidem , gravitatem , æquitatem ipsorum  
usu perspexerint , studio amplexi fuerint,  
expressam effigiem laudum ac decorum  
Principis absentis in præsentibus ab eo mis-  
sis eius Vicarijs , spectare sibi ac tenere  
videantur . Horum de numero ac genere  
optimo Ministrorum , qui summam sibi fe-  
licitatis ponunt in perfectè obsequendo Re-  
gi suo , vel in primis est Duartes Barre-  
tus : hoc nomine dignus quem Majesta  
Tua re ac dignitate auctum velit ; cuius-  
que , ob egregiè Tibi ac Reipublicæ nava-  
tam operam , remunerandi quærendas occa-  
siones putas . Ea quæ dixi ut faceret,  
multum illi laborum exantlandum fuit ;  
multæ ( quæ copia hic improborum est )  
contentiones suscipienda , certandaque  
certamina . Nec imputari potest in locum  
idoneæ mercedis , pro sedulâ diligentia tot  
annorum , Præfectura , cuius memini , Ma-  
lacensis . Primum quia casu quodam fa-  
ctum est , vt parum ipsi quæstuosa foret ;  
deinde quia tempus ejus totum expiere  
non



non potuit . quare hinc pauper discedit .  
Dignare , Domine , ei consulere , uti-  
que Homini quantumvis à Maiestate Tuæ  
gratiam merito . Adiungat precor Deus  
Dominus Noster multos annos ad vitam  
florentem & felicem Maiestatis Tuæ : con-  
cedatque per suam clementiam Tibi , ut  
in hâc vitâ cognoscas Sanctissimam ejus  
Voluntatem ; benignèque suppeditet vires  
animi abundantes ad eâ sensibus , operi-  
bus , affectibus agenda quæ supremo tempo-  
re fecisse Te gauderes . Malacâ ix. Kal. Iu-  
lias Anno CICLIX.

Maiestatis Tuæ servus inutilis.

*Franciscus.*

EPI-

